



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Conciliorum Omnium Generalium Et Provincialium Collectio Regia**

Ab anno MCLXXXI. ad annum MCCCXIV.

**Parisiis, 1644**

VI. De Conciliis prouincialibus.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15974**

166 INNOCENTIVS P. III. CONCILIVM FRIDERICVS II.  
IMP. ANNO CHRISTI 1215.

lum largiantur, recipientes pro se professionem canonicam, & pro Romana ecclesia sponsonem obedientiæ ab eisdem.

Dominicæ vero Crucis vexillum ante se faciant vbiique deferri, nisi in vrbe Romana, & vbicumque summus pontifex præsens extiterit, vel eius legatus vtens insigniis apostolicæ dignitatis.

In omnibus autem prouinciis eorum iurisdictioni subiectis, ad eos, cum necesse fuerit, prouocetur: saluis appellationibus ad sedem apostolicam interpositis, quibus est ab omnibus humiliter defendum.

V I.

Sicut olim a sanctis patribus noscitur institutum, metropolitani singulis annis cum suis suffraganeis prouincialia non omittant Concilia celebrare. In quibus de corrigendis excessibus, & moribus reformatis, præsertim in clero, diligentem habeant cum Dei timore tractatum, canonicas regulas, & maxime quæ statutæ sunt in hoc generali Concilio, relegentes, vt eas faciant obseruari, debitam pœnam transgressoribus infligendo. Ut autem id valeat efficacius adimpleri, per singulas diœceses statuant idoneas personas, prouidas videlicet & honestas, quæ per totum annum simpliciter, & de plano, absque vlla iurisdictione solcite inuestigent quæ correctione vel reformatione sint digna, & ea fideliter perferant ad metropolitanum & suffraganeos, & alios in Concilio subsequenti, vt super his & aliis, prout utilitati & honestati congruerit, prouida deliberatione procedant, & quæ statue-

ANNO CHRISTI  
1256.  
rint faciant obseruari , publicantes ea in episcopali-  
bus Synodis annuatim per singulas dioceses ce-  
lebrandis. Quisquis autem hoc salutare statutum  
neglexerit adimplere , a suis beneficiis & executio-  
ne officii suspendatur, donec per superioris arbit-  
rium \* eius relaxetur.

\* for. eius  
suspensio

VII.

Irrefragibili constitutione sancimus, vt eccl-  
esiarum prælati ad corrigendum subditorum exces-  
sum , maxime clericorum , & reformatum mo-  
res , prudenter & diligenter intendant , ne sanguis  
eorum de suis manibus requiratur. Vt autem cor-  
rectionis & reformationis officium libere valeant  
exercere , decernimus vt executionem ipsorum  
nulla consuetudo vel appellatio valeat impedire ,  
nisi formam excesserint in talibus obseruandam.

Excessus tamen canonicorum ecclesiæ cathe-  
dralis , qui consueuerunt corrigi per capitulum ,  
per ipsum in illis ecclesiis(quæ talem hactenus con-  
suetudinem habuerunt ) ad commonitionem vel  
iussionem episcopi corrigantrur infra terminum  
competentem ab episcopo præfigendum. Alio-  
quin extunc episcopus Deum habens præ oculis ,  
omni contradictione cessante, ipsos , prout anima-  
rum cura exegerit , per censuram ecclesiasticam  
corriger non postponat. Sed & alios eorum ex-  
cessus corriger non omittat , prout animarum  
causa requirit , debito tamen ordine in omnibus  
obseruato. Ceterum si canonici absque manifesta  
& rationabili causa , maxime in contemptum epi-  
scopi cessauerint a diuinis , episcopus nihilo minus